



Dispositio orationis quam pro Archia poeta Cicero habuit

<https://hdl.handle.net/1874/421195>

Je

2

DISPOSI

TIO ORATIO

nis quam pro Ar-
chia poeta Cice-
ro habuit, iam
primū a Phi-
lip. Mel.
ædita.



Haganoæ in officina Sece.

Anno XXXIII.

DISPOS

TO OF A T O

NO. 1000

TO BE

PRINTED

IN

THE

STATE

OF

NEW

YORK

1850

OPTIMO

VIRO D. NICO

lao Gerbelio . Offici

næ Secerianæ Mo

derator.

S D



VM nuper ex Nun
dinis Francfortenſi
bus rediſſem, Ger
beli doctiſſime, cœ
pi mecum ut ſit deli
berare, quidnā po
tiſſimum imprime
rem, quo & ſtu dio
ſis pro mea uirili gratificarer, & tibi op
time de me merito etiam gratitudinis uir
cem quandam rependerē. Inter alia que
tum prælo deſtinata habebam, hæc Diſ
poſitio digniſſima uifa eſt, quam non ſo
lum ſtudioſis communicandam uerum
etiam tibi horum patrono ſingulari de
dicandam eſſe iudicaret. Nam cū hoc
conſilio a Philppo Me. cōſcripta ſit (quū
ex illis uideor memoria cōſecutus, quæ
triennio ab hinc fere, cum in frequētiſſi
ma Vitebergeniū Schola tres de Ora
tore lib. Cice. abſoluiffet, adiungeretq;

EPISTOLA:

orationem pro Archia enarrandā, me-
 mini me audire) ut haberet iuuentus ex
 emplum quod ad artis Rhetoricæ præ-
 cepta nō incōmode posset accōmodare:
 nec altam ob causā Secerio socero meo
 sit transmissā, quam ut cōprimū excu-
 deret, inhumanus profecto ac iniquus
 essem. si tāto bono studiosos diutius per-
 gerem defraudare, impius uero in illum
 defunctū, si ipsius fidē nolim liberare.
 Tibi uero quid gratius offerri possit nō
 uideo, quam cum illius uiri scripta legis
 quem propter summam eruditionē plu-
 rimi fecisti semper, quiq; tibi uicissim uel
 propter singularem humanitatem tuā,
 quam cū cognitione omnium bonarū
 artium tibi coniunctissimam esse uolui-
 sti, ex animo uult ac cupit. Nec est cur
 timeam minus gratū tibi fore, quod de
 meo nihil dedicem, cū hoc mearum ui-
 rium non sit, & tu non tam quid me fa-
 cere in te æquum sit, cū quid possim sole-
 as spectare, Quare cum hanc spem de
 te cōceperim, ut uel significationem ali-
 quam gratæ mentis boni cōsulas, mini-
 me prætereūdā esse occasionem existi-
 maui. qua & meam in te gratitudinem,
 erga studiosos uero omnes, promptissi-
 mam uoluntatem declararem. Vale

DISPOSITIO

ORATIONIS PRO ARCHIA
POETA AV.

PH. ME.



Nitio *δικονομίας*

Exordij trade-
mus. De reli-
qua oratione,
et de causa po-
stea dicturi su-

mus. Ac multas utilitates adfert
hæc ratio distribuendarum sen-
tenciarum, qua hic utemur. Pri-
mum enim uoluntatem uniuscu-
iusq; authoris, is demum recte
adsequi poterit, qui seriem om-
nium sentenciarum contempla-
bitur, & animaduertet quomo-
do inter se consentiant. Deinde

A iij

DISPOSI. IN ORA:

cum in alienis scriptis rationem coniungendi sententias animaduertimus, scribemus et ipsi magis coherentia. Plurimum itaque prodest haec diligentia considerandae dispositionis in oratione, tum ad imitationem, tum etiam ad iudicandum. Nam etiamsi nihil scripturi sumus, tamen hac ratione iudicandi de alienis scriptis, carere non possumus.

Locus Exordij sumptus est ex Communi loco, scilicet ex officio referendae gratiae. Nulla est autem efficacior ratio conciliandae benevolentiae, quam quae ab honesto aut ab officio ducitur. Estque haec propositio, ex qua totum Exordium nascitur, in prima periodo posita: Ego debeo
 Archiam

Archiam tueri, ut referā ei gratiam. In secunda periodo sequitur ἀπολογία, hoc est, probatio huius sententiæ: quia Archias adiuit hoc meum studium dicendi. Tercio est addita Conclusio. Cum beneficio Archie alijs opem ferre possim, conuenit ut ipsum quoq; defendam. Cum sententiæ ad hunc modū detractis ornamentis digeruntur, facile postea est uidere quæ ornamenta accedant. Prima periodus continet Incrementum, nam hæc cognatæ species ad unam sententiā amplificandi causa referuntur, ingenium, exercitatio, ratio, id est ars. In secunda periodo pene nullum est ornamentum, tantum fecit mentionem Circūstan-

triæ, ne nimis breuis esset Circū
 ductio. Conclusio est facta En-
 thymematis modo, & est repeti-
 tio duarum periodorum superi-
 orum: Cum hæc uox sit ab Ar-
 chia ad salutem aliorum adsue-
 facta, ergo debet etiam Archiæ
 prodesse. Nam omissa est Ma-
 ior absoluens Syllogismum: æ-
 quum est, ut quisq; fructū ferat
 sui beneficij. Tametsi hanc ratio-
 nem subindicat, cum quedam
 uerba ab ea mutuatur.

Deinde sequuntur Occupati-
 ones duæ, Prima. Quomō po-
 test Poeta adiuuare Oratorē?
 Respondet breuissime. quia o-
 nes artes cognatę sunt, & se mu-
 tuo adiuuant. Altera Occupa-
 tio est. Videtur ineptum in for-
 ro loqui

ro loqui de artium & literarum
 studijs, id quod iam fecit Cice-
 ro, & paulo post copiosius faci-
 et. Hoc excusat sumpto argumē-
 to a persona Archiæ: quia pro
 poëta ita cōueniat dicere, ne ma-
 gis etiam perturbet ille, qui nū-
 quam uersatus est in iudicijs, si
 res agatur usitata contentione.

Oratio est generis Iudicialis.
 Status causæ est, q̄ Archias sit
 ciuis Romanus. Et hæc est prin-
 cipalis Propositio, ad quam re-
 ferre argumenta oportet. Hæc
 in tota oratione ob oculos uer-
 sari debet, cuius si quis oblitus
 fuerit, non intelliget reliquam
 orationem. Nam in omnibus
 causis in primis oportet princ-
 palē Propositionē meminisse.

DIS POSI. IN ORA.

Est autem Status iudicialis. Argumenta ducta sunt a Lege, & a Testibus. Nam hi proprii loci sunt quæstionum iudicialium.

○ Sed præter hæc, longissimū argumentum a persona Archie & ab artium dignitate tractum est. Illæ laudes proprie ad genus Demonstratiuum pertinent, sed inde mutuamur sæpe argumenta ad iudiciales causas, quia dignitas personarum cōciliat fauorem iudicum, & reddit causam magis probabilem & uerissimilem. Ita & hic argumentatur Cicerō. Quia Archias magna facultate ingenij præditus est, ergo credibile est eum ciuitate donatum esse. Item, quia tali est ingenio, meretur retineri in ciuitate.

CICERO PRO ARCH:

tate. Genus dicendi in hac oratione initio summissum, & ut uocant Atticum est. Neque enim longis Circumductionibus aut Explicationibus, aut figuris peculiariter usus est. Multe breues sunt periodi, & propria oratio. Postea circa finem aliquanto floridior est oratio.

Narratio continet propemodum historiam uitae Archiae & peregrinationum, ex quibus puenit eo, ut doceat quomodo ius ciuitatis consecutus sit ex lege. Et est ad finem Narrationis Syllogismus additus, ubi primo loco ponitur Conclusio: Data est ciuitas. Deinde Maior: Omnes qui in socijs ciuitatibus adscripti sunt, si in Italia, cum lex

DISPOSITIO IN ORA.

ferretur, domiciliū habuerunt,
 & professi sunt intra dies L. X.
 apud prætorem &c. sunt ciues
 Archias adscriptus ē Heracleę,
 & habuit domiciliū Romæ, &
 professus est &c. Ita claudit nar-
 ratio, non repetita conclusionē
 proprijs uerbis, sed quadam
 generali adseueratione, quia ne-
 cesse intelligi Conclusionem re-
 citato Syllogismo: Si nihil nisi
 de ciuitate ac lege dicimus, ni-
 hil dico amplius, causa dicta ē.

Deinde sequitur Confirma-
 tio, ante quam non repetit Pro-
 positionem supra positam ante
 Narratiouem, sed tantū de Mi-
 nore adseuerat, quia Minor est
 κρίσιμον, ideo habet opus pro-
 batione. Et ut causæ summam
 completi

cōplecti animo possis, Syllo-
 gismum supra positum memi-
 nisse oportet. Omnes inscripti
 in socijs ciuitatibus &c. sunt ci-
 ues. Archias est inscriptus. Er-
 go Archias est ciuis. Maiorni-
 hil habet ambigui, minor autē
 est incerta. Propterea tota Con-
 firmatio uersatur in Minore p-
 banda, & habet locos a Testib.
 & Tabulis, q̄ sit Heracleæ ad-
 scriptus, q̄ sit professus. Postea
 addit Verisimile ex Minore:
 multi alij leuiorum artium peri-
 ti, adscripti sunt in socijs ciuita-
 tibus. Ergo uerisimile est et hūc
 adscriptum esse. Postremo ad-
 dit signa Romani ciuis: adit he-
 reditates, testamentum fecit, in
 beneficijs ad grarium delatus ē,

DISPOSITIO IN ORA.

id est ærario pecuniam donauit
ex testamentis.

Quia causa per se tenuis &
exigua est, reddit eam splendidi
orem & illustriorem addito Lo
co Communi de laude literarū.
Et cum supra argumēta a re seu
causa traxerit, hinc persona du
cit argumētum. Archias est ho
mo literatus & poëta. Ergo est
dignus quem in ciuitate retinea
mus. Transfert igitur orationē
ab Hypothesi ad Thesin, id est
ad locum communem, scilicet:
Omnes studiosi sunt colēdi. Sed
ut modeste prædicet Archiam,
ne immodicæ laudes noceant
ei, transfert rem in suam perso
nam, dicit se plurimi facere Ar
chiam. Est ergo ppositio. Ego
magnū

CICE. PRO ARCH.

magnifacio Archiam. Sequitur Ratio, Enthymematis forma: quia eius studia profūt mihi ad delectationē, deinde etiam ad utilitatem in hac forensi facultate dicēdi. Et huicrationi est subiecta breuis uel cōprobatio uel repetio. Sequitur Occupatio. Tu ne igit̄ fateris te uersari in literis? Ad hoc respondet p̄ Concessionem, & subijcit tres causas finales. Prima est. Ita uersor in literis tanquam in ludis, ut tamen non abducar a negocijs. Secūda. Ex literis crescit mihi facultas dicēdi. Tertia. Literę etiam gubernant meos mores, & consilia regendę Reip. Et addit rationem: Quia literę continēt doctrinam bene uiuēdi. Et hęc

DISPOSIT. IN ORA.

sententiam illuminat per Interpretationem non nihil mutatis uerbis.

Sequitur Obiectio. Nū igitur nulli sūt magni uiri sine doctrina? Primum Concessione utitur, quod multi uiri magni sine doctrina fuerint. Et addit Rationem: quia magna nature uis est. Deinde subiicit Correctionem: multum tamen conducit doctrina, & perfectū quiddam existit cum ad naturam bonam accesserit. Id probat Exemplis. Postremo claudit hanc disputationem repetitione causse finalis leuioris, uidelicet, q̄ delectationis causse literæ non sint asp̄randæ. Et amplificat hunc finē per Collationem: nullę alię uoluptates

CICE. PRO ARCH:

luptates perinde sunt perpetue,
Porro distributio fit temporū,
agunt senectutem &c.

Hactenus de sua p̄sona tantum dixit Cicero, hic Transitio nē facit, & probat debere iudices etiam admirari artem, & est argumētū a genere artis tractū. Ars est digna admiratione, ergo etiam Archias magni faciendus est. Et similitudine reddit p̄spicuum argumentū. Sicut celeres motus erant corporis Roscij, qui magnopere delectabant &c. ita sunt ingenij Archie. Accedit probatio: quia multos. V̄sus ex tēpore fundit. Sequit̄ argumentū a differentia poëtices. Distinguit enim Antithesi poeticam ab alijs artibus, & hæc est

B

DISPOS. IN ORA.

Enthymematis sūma, Poëtica ē
 diuina, ergo poëtæ sunt tractan-
 di humaniter & colendi. Et ad-
 iecit Amplificationem ex laude
 mulices, ductā ex maiore: Saxa
 respōdent uocibus, bestiaē flect-
 unt cantu, ergo & nos amemus
 carmen,

Hactenus recitauit argumē-
 ta sumpta a persona Archiæ ex-
 tra causam, q̄ in ciuitate retinē-
 dus sit, quia sit poëta. Nūc sub-
 iicit exempla eodē pertinentia:
 Sicut aliaē ciuitates honore adfe-
 cerunt poëtās, ita & nos Archi-
 am honore adficere debemus.
 Homerr̄ multi sibi uēdicāt, er-
 go & nos retineamus Archiā.
 Additus est adfectus, nemo nō
 uet suis laudibus, Archiās au-
 tem de-

tem descripsit laudes Pop. Ro.
 Recitat igitur argumenta quedam
 poematu Archiæ. Deinde sub-
 iungit Scipionis exemplū. Scipio
 Ennium honore affecit, ergo et
 vos hunc honore adficite. Acce-
 dit amplificatio a Græca lingua.
 Plures legunt græca quàm latina, at
 Archias græce scribit, melius igitur
 scribit quàm Ennius. Addita est
 amplificatio ab utilitate scripto-
 rum, quia gloria ad uirtutē inci-
 tat, scripta autem gloriam pari-
 unt, quia retinēt memoriā re-
 rū gestarū, ergo scripta illa ad
 uirtutē incitāt. Sequitur igitur scripto-
 res esse dignos quod omni officij ge-
 nere colantur. Adiectum est ex-
 emplū de Achille & Homero.
 Achillie memoriā retinuit Ho-

DISPOS. IN ORA.

merus. Item, Pompeius iudica-
 uit hæc scripta gloriam adferre
 &c. Accedunt & alia exēpla Syl-
 læ & Metelli, qui poetis delecta-
 ti sunt. Et Schema ex Minore in-
 terpositum est, quod facit uerisi-
 milem Archiæ causam: Si alios
 poetas studiose audierūt nostri
 Impatores, ergo uerisimile est
 eos & hunc audiuisse, & facile
 concessisse ciuitatem. Postea ad-
 ditur *αὐτολογία* ex cōmuni sentē-
 tia. Trahimur omnes cupidita-
 te laudis. Hęc sententia Bruti &
 Fuluīj exemplis cōprobata est.
 Sequitur breuis Cōclusio, post
 quam suum exemplum comme-
 morat: Et ego laude delector, et
 cum res meas gestas Archias de-
 scripserit, bene uolo illi. Sequit̃
 repe

CICE. PRO ARCH.

repetitio loci cōis, q̄ gloriæ & imortalitatis cupiditas, hæreat in animis, q̄ ad res magnas gerēdas exuscitat, estq̄ argumētū a caussa finali ductū. Omnes gloriam appetimus tanq̄ finem laboris, quare hi qui monumenta condunt, honore afficiendi sūt. Et hæc sentētia Rhetorica expolitōe est uariata, uerbis quater mutatis res eadem repetit̄. Virtus appetit gloriam, Nemo tantos labores, tanta pericula susciperet, nisi laudis amore duceretur. Illa gloriæ cupiditas hæret in animis quæ ad agendū exuscitat. Turpe esset magnis uiris & in Rep. uersantibus, si ea essent opinione, simul cum ipsis morituram esse memoriā omniū

DISPOS. IN ORA.

que gesserunt. Hic subinde uides eandē sentētiam paulū modo uariatam repeti. Multum accedit lucis, cum et locus argumēti notatus est, dixi enim a causa finali sumptum esse, & Elocutionis figuræ ostensæ sunt. Nam hic sententia ualde redditur perspicua, si moneatur lector, rem eandem dici, tantū uariata forma orationis.

Amplificatio in fine addita est, uel a Simili uel ex Minore. Si corporū statuas relinq̄re cupimus, multo magis poëmata relinquenda erunt, quia sunt durabilia, & sunt imagines animorum & cōsiliōrū. Est autē sup̄tus hic locus ex Isocr. Euagora. Εγὼ δὲ, ὦ Νικόκλειε, ἢ γούμαι μὴ εἶναι καλὰ

2 CICE. PRO ARCH.

καλὰ μνημεῖα καὶ οὐ τῶν σαμάτων εἰκό-
νασ. πολὺ μὲν τοι πλείονος ἀξίας τὰς
τῶν πράξεων καὶ τ' ἀανοίας, ἅς ἐν τοῖς λό-
γοις ἂν περιμόνον τοῖς περικῶς ἔχουσιν
θεωρήσῃε. Postea sequitur Perora-

tio, quæ continet Deprecationē,
in qua argumenta causæ
breuissime repetū-

tur, ut fit in

Epilogis.

τέλος.

Paraphra-

PARAPHRASIS
PHILIPPI ME
LANCTH.



GO nisi pa-
re gratus ex-
istimari ue-
lim, hanc me-
am dicendi fa-
cultatem, si
qua est, ad salutem defensionēq;
Archiae conferre debeo. Nam
hic mihi inde usq; a prima etate
autor adiutorq; ad hanc Eloquē-
tię studia suscipienda atque co-
lenda, semper fuit. Quare cum
alijs opem ferre soleam, multo
æquius est, ut Archiam defen-
dam, a quo plurimū in hoc stu-
dio adiutus sum, ut aliquem be-
neficij sui fructum ferat. Sed mi-
retur

retur quispiam, q̄ potuerit me
 in hac forensi ratione dicēdi ad-
 iuuare Archias, qui cum sit po-
 eta, in dissimili genere artiū uer-
 satur. Verum hac de re ita statu-
 etis, disciplinas omnes tanq̄p̄foe-
 dere q̄dam inter se copulatas, at-
 q̄ cōiunctas esse. Quare etiam
 hæc ratio dicendi, multū a poe-
 tis sumit. Est autem hoc loco ue-
 nia etiam mihi petenda, q̄ in fo-
 ro atq̄ iudicio, præter consuetu-
 dinem de studijs literarū, mul-
 ta dicturus sim. Nam id spero
 mihi uos, propter hunc creū cō-
 cessuros esse, quem uerebar ani-
 mo debiliore futurū esse, si usi-
 tata contentione causam agi ui-
 deret, cum antea nunq̄ in iudi-
 cijs uersatus sit. Quamobrē no-

uo genere orationis confirman-
 dus mihi fuit. Proinde si me be-
 nigne audietis, efficiam, ut illū
 nō modo ciuem esse statuatis,
 sed etiam si ciuis non esset, dig-
 num esse cui ciuitas donetur, in-
 telligatis.

✿ Ego, Iudices, non ad-
 ducor leuibus caussis, cur
 Archiam plurimi faciam,
 quia magnū ex studijs ei-
 us fructum capio, tum ad
 oblectationē, tū etiam ad
 hanc orationis copiam cō-
 seruandam. Neq; em̄ suste-
 nere possem, hanc in fo-
 ro contentionem, nisi mi-
 tioribus studijs interdum
 relaxarem animum atq; recrea-
 rem. Et aresceret hęc facultas di-

*Narrationem & Con-
 firmationem primam
 a Lege ductam omi-
 sit. Locus Communis
 habet Paraphrasin,
 de studijs. Prodest au-
 tem, ad sententiam
 orationis melius in-
 telligendam, & per-
 spiciendum ordinem
 Argumentorū, con-
 ferre Paraphrasin ad
 Ciceronem.*

cendi, nisi doctrina aleret. Nō
 em̄ dissimulo me in studijs lite
 rarū uersari, præsertim, cum me
 necq̄ a Reip. neque ab amicorū
 negocijs abducant. Nunq̄ em̄
 me, uel cōmoda mea, uel ocij
 cupiditas, uel inertia uel uolup
 tates remoratae sūt, q̄ minus aut
 Reip. aut amicis, necessario ip
 sorum tempore, operam dede
 rim. Quare cōcedi mihi peto,
 si quantum tēporis alij ponunt
 in alea, in conuiujs, in spectan
 dis ludis, tantum ego in literis
 colloco. Idque eam ob caussam
 æquius est mihi permitti, quia
 ad alios inde nō exigua utilitas
 redit. Hæc em̄ oratio fit uberi
 or ex illis studijs, que multorū
 salutem defendere solet, Præte

rea, maiorem etiam utilitatē ex illis literis capio. Nam autoritate earū cōmotus, nihil antiquius uirtute duco. Nullū pro salute Reip. discrimen adire unquē dubitavi, nec me a defensionē Reipb. uoluptas unquē, aut metus ullus retraxit. Video. n. in literis honestissima præcepta proposita, uideo exempla a doctis hominib. mandata memorię, hanc ob causam, ut ea exprimeremus atque imitaremur in omni uita. In quæ ego intuens, ad uirtutem et ad decus expetendū, accendi me sentio.

Sed quia uim harū artiū tantopere prædicas, quæret aliquis fortasse, an nemo unquē extiterit uir magnus sine doctrina, cum
quidem

PHILIP MEL

quidem in hac Rep. constet, si-
 ne literis, multos fortissimos &
 moderatissimos uiros, & peri-
 tissimos Reip. regendæ fuisse.
 Ego uero non nego, multos na-
 turæ beneficio, ac pene diuini-
 tus ad uirtutem factos, sine do-
 ctrina præstâtes uiros extitisse.
 Magna em̄ in omni genere na-
 turæ uis, adeo ut plus ad uirtu-
 tem consequendam foelix natura
 sine doctrina ualeat, quàm sola do-
 ctrina repugnante ingenio &
 inuita Minerua, quod aiunt.
 Quamquam autem hoc ita sit, tamē
 illud etiam affirmare ausim, per-
 fectam sapientiam ac uirtutem,
 ita demum existere, cū ad bo-
 nam naturam ratio doctrinaque
 accesserit. Sumit enim impetus

P A R A P H R A :

quosdam a natura uirtus, que li-
 teris & doctrina perficiēda est.
 Viderunt Patres nostri Aphri-
 canū, Lælium, & Catonem,
 qui acerrimū studium, ad has
 artes contulerunt. Neq; uero
 existimari debet, tales uiros in
 tanta uarietate occupationum,
 hæc studia attingere uoluisse,
 nisi sensissent ea magnū momē-
 tum ad colendam uirtutem ad-
 ferre. Sed ut nulla maior utili-
 tas inde percipi posset, tamen ex-
 petenda uidētur delectationis
 caussa. Nam alię uoluptates nō
 sunt perpetuæ. At hæc studia de-
 lectant in omni ætate atque for-
 tuna. Exercent adolescentiam,
 exhilarant senectutem, secūdas
 res ornant, in aduersis leniunt
 animi

animi curas. Haftenus de me
 dixi, cur Archiam plurimi faci-
 am. Non dubito autem, quin
 & uos ei, propter artis sua uita-
 tē, bene cupiatis. Ut enim Ros-
 cium omnes admirabamur, ac
 diligebamus, propter uenusta-
 tē, quam in corporis motu ad-
 hibebat, ita in hoc ingenij celeri-
 tas, fauorem meret. Sepe enim
 uidi Archiam, ex tempore mag-
 num numerum uersuum effun-
 dentem, cū literam nullam scrip-
 sisset ac rursus eandem senti-
 am, cōmutatis uerbis ornatissi-
 me explicantē. In his uero quæ
 maiore cura scribit ac compo-
 nit, ne ueteribus quidem ulla
 ex parte cedit. Quis igitur eum
 non amet? quis non defendat?

quis non omni officij genere p̄
 sequi uelit? At reliquas artes fe
 runt præceptis cōstare, poetas
 uero diuina quadam ui cōmo
 ueri. Quamobrem Ennius, eos
 appellat sanctos, hoc est, religio
 ne quadam colendos. Proinde
 & nos reuerētia quadam poeti
 ci nominis tangi cōuenit, præ
 sertim cū carmine moueant sax
 a etiam ac bestia, quanto magis
 nos, ad humanitatē optima dis
 ciplina institutos, uoce poetarū
 moueri decet?

Homerum, multæ ciuitates
 mortuum repetunt, tanq̄ suū,
 nos unū Archiam, qui iure in
 nostram ciuitatem peruenit, nō
 retinebimus, cum quidē de no
 bis præclare meritus sit? Nemo
 suis lau

suis laudibus nō fauet. Nos igitur Archiæ, qui res præclare gestas Populi Romani, carmine cōplexus est, fauere debemus. Descripsit enim Cymbrorū cladem in Italia acceptam. Descripsit & Mithridaticum bellū. Pertinent enim ad Populi Romani gloriam, res gestæ nostrorū Imperatorum. Scipio honore affecit Ennium, & non modo uiuū coluit, sed mortuum etiam in sepulchro Scipionū collocauit. Hic celebrauerat Catonē & alios egregios ciues, quæ res cum ad Populi Romani gloriam pertineret iudicaretur, ciuitate donatus est Ennius, ignobili natus loco, in oppido Rhudn̄s. Quāto minus decet, nos hunc Archi

iam, in socia ciuitate Heraclea ad scriptum, ciuitate eijcere, præsertim cū Græce res gestas Populi Romani cōscripserit. Maiorem enim gloriam pariunt Græce quæ Latine scripta, quia Græca lingua plures gentes utuntur quam nostra, At cum famam uirtutū nostrarum, ad eas etiam gentes peruenire cupiamus, quo nondū arma nostra penetrauerunt, ornare eas literas debemus, que nominis Romani noticiam eo perferunt.

Huc accedit quod scriptores non uulgariter de Rep, merentur, qui quia memoriam rerum præclare gestarum retinent, excitant homines ad uirtutis studium. Nullum enim efficacius incitamen

PHILIP MEL

citamentum est periculorum ac laborum, quam gloria. Atque ita iudicasse Alexandrum apparet, uiros fortes ac magnos, gloriæ dulcedine tangi. Nam cum ad Achillis tumulum astitisset, pronunciauit illum hoc nomine fortunatum fuisse, quod Homerum præconem nactus esset, quasi amplissimum uirtutis præmium illi contigisset. Etenim quæ absque Homero fuisset, ipsum etiam nomen Achillis obliuione oblitum fuisset. Noster Põpeius pro contione poëtam quendam ciuitate donauit, idque comprobauit exercitus. Delectabat enim eos, quod res gestæ ipsorum mandatq̄ literis, non tantum in præsentia, sed etiam ad poste-

hos gloriam ipsis pariturae erant.
 Cum autem Imperatores nostri
 hanc ob causam, saepe scriptori-
 bus honorem habuerint, uerisi-
 mile est & Archiam, si ciuis non
 esset facile ius ciuitatis ab aliquo
 impetrare potuisse. Sylla enim,
 cum etiam inepto poetae premi-
 um dari iusserit, hunc, propter
 singularem ingenij uim atque co-
 piam, maxime admiratus esset.
Q. Metellus Hispanicos poe-
 tas in ciuitate asciuit. At ab hoc
 facile uel per se uel per Lucullos
 idem impetrare Archias potuit.
 Neque enim dissimulari hoc po-
 test, gloriae cupiditatem animis
 omnium innatam esse. Hanc ip-
 si etiam Philosophi, cum de con-
 temnenda gloria precipiunt, ad-
 sectant.

sectant. Hanc propositam habu-
 erunt nostri Imperatores, qui in
 publicis monumentis carmina
 perscribi curauerunt, in quibus
 nomina eorum extarent. Ego,
 ut ingenue fatear, incredibili uo-
 luptate afficior, cum huius poe-
 ma recitari audio, quod de reb.
 in Cōsulatu meo pro salute Rei
 pub. gestis inchoauit. Nullum
 enim uirtus præmium copiosi-
 us desiderat, quæ laudem atque
 gratam memoriam laborum.
 Hanc omnes expetunt atque am-
 biunt. Est enim insita quædam
 gloriæ cupiditas omnibus, que
 extimulat, ut memoriam nomi-
 nis nostri, ad posteros extendamus.
 Nemo enim tantos labo-
 res susciperet, nemo tot pericu-

la subiret, si nulla cura immortalitatis tangeretur, si arbitraretur, secum memoriam omnium laborum interituram esse, si non ob oculos spes quedam immortalitatis obuersaretur. Et cum voluptas quedam sit, statuas & corporum simulachra relinquere quanto magis optandum est ut extant animorum & consiliorum nostrorum imagines, arte summa factæ atque elaboratæ. Ego quidem in his rebus, quas gessi, iam tum in uniuersam posteritatem intuebar, & illius calculis probari consilia mea cupiebam. Et siue post mortem sensus aliquis est animorum, ut sapientissimi homines maluerunt, siue nullus est sensus, nunc tamen hæc me

PHILIP M E L :

hæc me consolatio ac spes delectat
ac reputantem famam rerum ge-
starum, a me ad posteritatē pre-
uenturam esse. Quæso igitur
uos iudices, cum causâ legis au-
toritate defensa sit, in ipso autē
reo tanta sit dignitas, ut eum in
ciuitate retinendum esse statua-
tis. Erit humanitatis uestræ, ta-
lem uirum, diuina quadam ui-
ingenij præditum, quod qui-
dem totum ad ornandum Po-
puli Romani nomen contulit,
liberare. Ego quæ de causâ
dixi, ita plana esse confi-
do, ut nemini dubia ui-
deri possint. Quæ
extra cau-
sâ de studiorū laude dixi, existi-
mo uos boni cōsulere.

M. T. CICE

RONIS PRO A. LI.

CINIO ARCHIA

POETA ORA

USATI Q. T. I. O.

Propositio
Exordij.



LIQVVID EST
in me ingenij iu-
dices, quod sen-
tio quam sit exi-
guū: aut si qua
exercitatio dicendi, in qua me
nō inficior mediocriter esse uer-
satum: aut si huiusce rei ratio ali-
qua ab optimarum artium stu-
dijs et disciplina profecta, a qua
ego nullū confiteor ætatis meæ
tempus abhorruisse, earum re-
rum omnium uel in primis hic
A. Licinius fructum a me repe-
tere

tere prope suo iure debet. Nam ^{Ratio.} Ratio.
 quoad longissime potest mens
 mea respicere, spacium præteri-
 ti temporis, & pueritiæ memo- ^{Conclusio}
 riam recordari ultimam, inde us-
 que repetens, hunc uideo mihi
 principem, & ad suscipiendam
 & ad ingrediendam rationē ho-
 rum studiorum extitisse. Quod ^{Conclusio}
 si hæc uox huius hortatu præcep-
 tisque cōfirmata, nōnullis aliquā
 do salutis fuit, a quo id accepi-
 mus quo ceteris opitulari, & ali-
 os seruare possemus, huic pro-
 fecto ipsi, quantum est situm in
 nobis, & opem & salutem ferre
 debemus. Ac ne quis a nobis ^{Occupatio}
 hoc ita dici forte miretur, quod
 alia quædam in hoc facultas sit
 ingenij, nec hæc dicendi ratio

ORATIO: CICE:

aut disciplina, nec nos qui
dem huic cuncti studio pœni-
tus unquam dediti fuimus.

Solutio Oc-
cupationis

Occupatio
20.

Etenim omnes artes, quæ ad
humanitatem pertinent, ha-
bent quoddam commune uin-
culum, & quasi cognatione
quadam, inter se continen-
tur. Sed ne cui uestrum mirum
esse uideatur, me in Quæstione
legitima, & in iudicio publico,
cum res agatur apud Prætorem
Po. Romani lectissimum uirū,
& apud sauerissimos Iudices,
tanto cōuentu hominum ac fre-
quētia, hoc uti genere dicendi,
quod non modo a consuetudi-
ne iudiciorum, uerum etiam a
forensi sermone abhorreat: quæ-
so a uobis, ut in hac causa mihi
dictis

detis hanc ueniam accommoda
 tam huic reo, uobis, quem ad
 modum spero, non moleſtam,
 ut me pro ſummo poëta, ac eru
 ditiffimo homine dicentem, hoc
 concurſu hominum literatiſſi
 morum, hac ueſtra humanita
 te, hoc denique Pratore exer
 cete iudicium, patiamini de ſtu
 dijs humanitatis ac literarum,
 paulo loqui liberius, & in eius
 modi perſona, quæ propter oci
 um ac ſtudium, minime in iu
 dicijs periculisque tractata eſt,
 uti prope nouo quodam & in
 uſitato genere dicendi. Quod ^{Propoſitio}
 ſi mihi a uobis tribui conce
 dique ſentiam, perficiam pro
 ſecto, ut hunc Aulum Lici
 nium, non modo non ſegre

cauſæ.

ORATIO CICERONIS

Narratio.

gandum, cum sit ciuis, a numero ciuium, uerum etiam si non esset, putetis affiscendum fuisse. Nam ut primū ex pueris excessit Archias, atq; ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatē informari solet, se ad scribendi studium cōtulit, primū Antiochiæ (nam ibi natus est loco nobili, celebri quondam urbe & copiosa, atq; eruditissimis hōibus, liberalissimisque studiis affluentibus) celeriter antecellere omnibus in-

Gradatio.

genij gloria cōtigit. Post in ceteris Asiæ partibus, cunctaq; Græciæ, sic eius aduentus celebrabatur, ut famā ingenij expectatio hominis, expectationem ipsius aduentus admiratioq; superaret. Erat tū Italia plena Græcarum arti-

um

um ac disciplinarum, studiaque
 hec & in Latio uehemētius tum
 colebantur, q̄ nūc ḡsdem in op-
 pidis, & hic Romę propter tran-
 quillitatem Po. Romani non ne-
 gligebantur. Itaq̄ hūc & Taren-
 tini & Rhegini & Neapolitani,
 ciuitate cæterisq̄ præmijs dona-
 rūt, & omnes qui aliquid de in-
 genijs poterant iudicare, cogni-
 tione atq̄ hospicio dignū existi-
 marunt. Hac tanta celebritate fa-
 mæ, cum esset iam absētibus no-
 tus, Romam uenit Mario consu-
 le & Catulo. Nactus est primū
 Consules eiusmodi, quorū alter
 res ad scribendum maximas, al-
 ter cū res gestas, tū etiam studiū
 atq̄ aures abhibere posset. Sta-
 tim Luculli, cum prætextatus eti-

O R A T I O C I C E :

nao G. am tum Archias esset, eū in do-
 mum suam receperunt. Sed em̄
 hoc non solum ingenij ac litera-
 rum, uerum etiam naturæ atq̄
 uirtutis fuit, ut domus, quę hu-
 ius adolescentiæ prima fuit, ea-
 dem esset familiarissima senectu-
 ti. Erat temporibus illis iucun-
 dus Metello illi Numidico, &
 eius Pio filio, audiebatur a M.
 Aemylio, uiuebat cum Q. Ca-
 tulo, & patre & filio, a Lucio
 Crasso colebatur. Lucullos ue-
 ro & Drusos & Octauios & Ca-
 tonem & totam Hortensiorum
 domum, de uinctam consuetu-
 dine cum teneret, afficiebatur
 summo honore, q̄ eum non so-
 lum colebant, qui aliquid perci-
 pere aut audire studebant, uerū
 etiam

PRO ARCH. POE:

etiam si qui forte simulabant.
 Interim satis longo interuallo,
 cum esset cū L. Lucullo in Sici-
 liam profectus, et cum ex ea pro-
 uincia cū eodem Lucullo dece-
 deret, uenit Heracleam, quæ cū
 esset Ciuitas æquissimo iure ac
 foedere, adscribi se in eam ciui-
 tatem uoluit, idc̄ cum ipse per ^{Minor.}
 se dignus putaretur, tum autori-
 tate & gratia Luculli ab Heracli-
 ensibus impetrauit. Data est ei ^{Conclusio}
 uitas Syllani lege & Carbonis,
 si qui foederatis ciuitatibus ad-
 scripti fuissent: si tum cum lex se ^{Maior.}
 rebatur in Italia domicilium ha-
 buissent, & si sexaginta diebus
 apud Prætorem essent profes-
 si. Cum hic domicilium Ro- ^{Pars Mino-}
 mæ, multos iam antea annos ^{ris.}

Epilogus
Narratio
nis.

Propositio
confirmati
onis.
Confirmatio
a testib.

haberet, professus est apud præ-
torem Q. Metellū familiarissi-
mum suum. Si nihil aliud nisi
de ciuitate ac lege dicimus, nihil
dico amplius, causa dicta est.
Quid em̄ horū infirmari Grac-
che potest? Heracleæ ne esse eū
adscriptum negabis? Adest uir
summa auctoritate & religione
& fide M. Lucullus, qui se non
opinari sed scire, non audiuisse
sed uidisse, nō interfuisse sed egi-
sse dicit. Ad sunt Heraclienses
Legati nobilissimi homines hu-
ius iudicij causa, cum mandatis
& cum publico testimonio ue-
nerunt, qui hunc adscriptū He-
racliensem dicunt. Hic tu tabu-
las desyderas Heracliensium pu-
blicas, quas Italico bello incen-
so, tabula

so, tabulario interiisse scimus
 omnes. Est ridiculum ad ea quæ Collatio
 fidei & Ta
 bularum. habemus nihil dicere, quærere
 quæ habere non possumus, &
 de hominum memoria tacere,
 literarum memoriam flagitare.
 Et cū habeas amplissimi uiri re/
 ligionem, integerrimi munici/
 pi iusiurandum, fidemque, ea
 quæ deprauari nullo modo pos/
 sunt repudiare, tabulas, quas
 idem dicis solere corrumpi, de/
 syderare. At domicilium Ro/
 mæ non habuitis, qui totan/
 nis ante Ciuitatem datam, se/
 dem omnium rerum ac fortuna/
 rum suarum Romæ collocauit.
 At non est professus. Immo ue/
 ro his tabulis, quæ solæ ex illa
 professione collegioque præto/

ORATIO CICEI

rum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Nam cum Appij tabulæ negligentius adseruatæ dicerentur, Gabijque quam diu incolumis fuit leuitas, post Damnationem, calamitas omnem tabularum fidem resignasset, Metellus homo sanctissimus modestissimuseque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulū prætorem, & ad iudices uenerit, & unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen

Conclusio

A. Licinij uidetis. Quæ cum ita sint, quid est quod de eius ciuitate dubitetis, præsertim cum alijs quoque in ciuitatibus fuerit adscriptus? Etenim cum mediocribus

diocribus multis, & aut nulla, Amplifica
 aut humili aliqua arte præditis, tio a uerissi
 gratuito ciuitatem in Græcia ho mili ex mi
 mines impertiebantur, Rhegi, nore.
 nos credo, aut Locrenses, aut
 Neapolitanos, aut Tarētinos,
 quod Scenicis artificibus largiri
 solebant, id huic summa ingenij
 prædito gloria noluisse? Quid
 cum cæteri non modo post Ci
 uitatem datam, sed etiam post le
 gem Papiam, aliquo modo in
 eorum municipiorum tabulas
 irreperunt? Hic qui nec utitur
 quidem illis in quibus est scrip
 tus, quod semper se Heraclien
 sem ciuem esse uoluit, reijcie
 tur? Census nostros requiris sci
 licet. Est enim obscurum prox
 imis Censoribus, hunc cum cla

Quæ iussit
 urbe exce
 dere om
 nes qui nō
 erant ciues
 Romani.

Pars confu
 sationis.

ORATIO CICE.

rissimo Imperatore L. Lucul-
 lo, apud exercitum fuisse, supe-
 rioribus cum eodem Quæstore
 fuisse in Asia: primis Iulio &
 Crasso, nullam populi partem
 esse censam. Sed quoniam Cen-
 sus non ius ciuitatis confirmat,
 ac tantummodo indicat eum qui
 sit census, ita se iam tum gessisse
 pro ciue his temporibus, quæ
 tu criminariis, nec ipsius quidem
 iudicio in ciuium Romanorum
 iure esse uersatum. Et testamen-
 tum sæpe fecit nostris legibus,
 & adiit hæreditates ciuium Ro-
 manorum, & in beneficijs ad
 ærarium delatus est a L. Lucul-
 lo Prætore & Consule, Quære
 argumenta si qua potes. Nun-
 quam enim hic neque suo neque
 amicorum

amicorum iudicio reuincetur.

Quæres a nobis Gracche, cur
tantopere hoc homine delecte-

Propositio

mur? quia suppeditat nobis ubi
& animus hoc forensi strepitu

reficiatur, & aures conuicio de-

Compro-
batio.

fesse conquiescant. An tu existi-

mas, aut suppetere nobis posse
quod quotidie dicamus, in tan-

ta uarietate rerum, nisi animos
nostros doctrina excolamus?

aut ferre animos tantam posse
contentionem, nisi eos doctri-

na eadem relaxemus? Ego uero

Occupatio

fateor me his studijs esse dedi-

tum, cæteros pudeat, si qui se
ita literis abdiderunt, ut nihil
possint ex his, neq; ad commu-

nem afferre fructum, neque in
aspectum lucemque proferre.

Correctio. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita uiuo iudices, ut ab illis nullo unquam me tempore aut commodum aut ocium meum abstraxerit, aut uoluptas auocarit, aut denique somnus retardarit.

Congeries

*congruo
congruo*

Quare quis tandem me repræhendat, aut quis mihi iure succenseat, si quantum cæteris ad suas res obeūdas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias uoluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis, conceditur temporum, quantum alij tribuunt tempestiuis cōuiujs, quantum deniq; alexæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero.

A simili.

congruo

Atq; hoc ideo mihi cōcedendum est magis,

A causis finalibus.

magis,

magis, quod ex his studijs hæc
 quoq; crescit oratio & facultas,
 quæ quantumcunq; in me est,
 nunquam amicorum periculis
 defuit. Quæ si cui leuior uide-
 tur, illa quidem certe quæ sum-
 ma sunt, ex quo fonte hauriam
 sentio. Nam nisi multorū præ-
 ceptis, multisque literis mihi
 ab adolescentia suasissem, uihil
 esse in uita magnopere expeten-
 dnm, nisi laudem atq; honesta-
 tem, in ea autem persequenda,
 omnes cruciatus corporis, om-
 nia pericula mortis atque exiliij
 parui esse ducenda, nunquam
 me pro salute uestra in tot ac tan-
 tas dimicationes, atque in hos
 profligatorum hominum quo-
 tidianos impetus obiecissem.

Ab altera
 causa finali

ORATIO. CICE.

Sed pleni omnes sunt libri, plena sapientum uoces, plena exemplorum uetustas, quæ iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accēderet. Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum fortissimorum uirorum expressas, scriptores & Græci & Latini reliquerunt? Quas ego mihi semper in administranda Repub. proponens, animum & mentem meam, ipsa cogitatione hominū excellentium confirmabam.

Obiectio
seu Occupatio.

Cōcessio.

Quæret quispiam, quid illi ipsi summi uiri, quorum uirtutes literis proditæ sunt, ista ne doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerūt? Difficile est hoc de om-

de omnibus confirmare, sed tamen est certum quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo & uirtute fuisse, & sine doctrina naturæ ipsius habitu prope diuino, per se ipsos & moderatos & graues extitisse fateor. Etiam illud adiungo, sæpius ad laudem atq; uirtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura ualuisse doctrinam. Atq; idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem, accesserit ratio quædam confirmatioque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solere existere. Ex hoc esse hunc numero, quem Patres nostri uiderunt, diuinum hominem Africicum. Ex hoc

Ratio, quia magna est sæpe naturæ uis.

Conclusio

Repetitio
causa
ita

Correctio.

Collatio

Exempla.

ORATIO CICE.

C. Lælium, L. Furium, modestissimos homines & continentissimos. Ex hoc fortissimū uirum, & illis temporibus doctissimum, Catonem illum senem, qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamq; uirtutem literis adiuuarentur, nunquam se ad earum studium contulissent. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & si ex his studijs delectatio sola peteretur, tamen ut opinor, hanc animaduersionem humanissimam atq; liberalissimam iudicaretis. Nam cæteræ res, neque temporum sunt neque ætatum omnium neque locorum. Hæc studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res or-

Conclusio

Repetio
causæ finalis.

Collatio.

res or-

PRO ARCHIEPOE.

res ornant, aduersis perfugium
 ac solatium præbent. Delectant
 domi, non impediunt foris, per
 noctant nobiscum, peregrinan-
 tur, rusticantur. Quod si ipsi *Transitio,*
 hæc necque attingere, necque sensu
 nostro gustare possemus, tamē
 ea mirari deberemus etiam cum
 in alijs uideremus. Quis no-
 strū tam animo agresti ac duro
 fuit, ut Roscij morte nuper non *Similitudo*
 commoueretur? qui cum esset
 senex, mortuus tamen propter
 excellentem artem, ac uenusta-
 tem, uidebatur omnino mori
 non debuisse. Ergo ille corpo-
 ris motu tantum amorē sibi con-
 ciliarat a nobis omnibus, nos
 animorum incredibiles motus, *Cōsequēs.*
 celeritatemque ingeniorum ne

Compro-
batio.

gigemus? Quotiens ego hunc
Archiam uidi iudices (utar em̄
uestra benignitate , quoniā me
in hoc nouo genere dicendi tam
diligenter attenditis) quotiens
ego hunc uidi , cum literam scri-
pisset nullam , magnum nume-
rum optimorum uersuum , de
iis ipsis rebus quæ tum ageban-
tur , dicere ex tempore? Quoti-
ens reuocatum eandem rem di-
cere commutatis uerbis atque
sententijs? Quæ uero accurate
cogitateq; scripisset , ea sic uidi
probari , ut ad ueterum scripto-
rum laudem peruenirent . Hūc
ego non diligam? nō admirer?
non omni ratione defendendū
putem? Atqui sic summis ho-
minibus eruditissimisq; accepi-
mus, cę

Antecedēs

PRO ARCH. POET

mus, cæterarum rerum studia,
 & doctrina & præceptis & arte
 constare, poëtam natura ipsa ualere,
 & mentis uiribus excitari,
 & quasi diuino quodam spiritu
 afflari. Quare suo iure noster
 ille Ennius sanctos appellat poëtas,
 q̄ quasi Deorum aliquo
 dono atque munere, commenda-
 ti nobis esse uideantur. Sit
 igitur, iudices, Sanctum apud
 uos humanissimos homines,
 hoc poëtæ nomen, quod nulla
 unquã Barbaria uiolauit. Saxa
 & solitudines uoce respondent:
 bestiaæ sæpe immanes cantu flec-
 tuntur atq; consistunt, nos in-
 stituti rebus optimis non poëta-
 rum uoce moueamur? Home-
 rum Colophonij ciuem esse di-

Cōsequēs.

Amplifica-
 tio a Maio-
 re.

Ab Exem-
 plo.

ORATIO CICE.

cunt suum, Chij suum uendi-
cant, Salaminij repetunt, Smyr-
næi uero suum esse confirmant.
Itaq; etiam delubrum eius in ur-
be dedicarunt. Per multi alij præ-
terea pugnant inter se atque con-
tendunt. Ergo illi alienum quia
poëta fuit, etiam post mortem
expetunt, nos hunc uiuum, qui
uoluntate & legibus noster est,
repudiamus: præsertim cū om-
ne olim studium atq; omne in-
genium contulerit Archias, ad
Pop. Romani gloriam laudēq;
celebrandam. Nam & Cym-
bricas res adulescens attigit. Eti-
am ipsi illi C. Mario, qui duri-
or ad hæc studia uidebatur, iu-
cundus fuit. Neque enim quis-
quam est tam auersus a Musis,
qui non

Ex meritis
Archias.

αἰτιολογία.

PRO AACH: P O E:

qui non mandari uersibus æter-
 num suorum laborum præco-
 nium facile patiatur. Themisto Exemplū.
 clem illum summum Athenis
 uirum dixisse aiunt, cum ex eo
 quæreretur, quod ἀκρόαμα, aut
 cuius uocem libentissime audi-
 ret; eius a quo sua uirtus opti-
 me prædicaretur. Itaq; ille Ma-
 rius item eximie L. Plotium di-
 lexit, cuius ingenio putabat ea
 quæ gesserat posse celebrari. Mi-
 thridaticum uero bellum mag-
 num atque difficile, & in multa
 uarietate, terra marique uersa-
 tum, totum ab hoc expressum
 est. Quilibet non modo L. Lu-
 cillum fortissimum & clarissi-
 mum uirum, uerum etiam Po-
 puli Romani nomen illustrent.

Redit ad
 merita Ar-
 chizæ.

ORATIO CICE.

Populus enim Romanus aperu-
it, Lucullo imperante, Pon-
tum, & Regijs quondam opi-
bus, & ipsa natura regionis ual-
latum. Populi Romani exerci-
tus eodem duce, non maxima
manu innumerabiles Armeni-
orum copias fudit. Populi Ro-
mani laus est, urbem amicissi-
mam Cizicenorum eiusdem cō-
silio, ex omni impetu regio, ac
totius belli ore ac faucibus erep-
tam esse atque seruatam. No-
stra semper feretur ac prædica-
bitur L. Lucullo dimicante, cū
interfectis ducibus depressa ho-
stiū classis, & incredibilis apud
Tenedum pugna illa naualis.
Nostra sunt trophæa, nostra
monumenta, nostri triumphī,
Qua

Quare quorum ingenijs hæc fe-
 runtur, ab his Populi Romani
 fama celebratur. Charus fuit
 Africano superiori noster En-
 nius, itaque etiam in sepulchro
 Scipionum putatur is esse con-
 stitutus. Et marmoratis laudi-
 bus, certe non solum ipsi qui
 laudantur sed etiam Populi Ro-
 mani nomen ornatur. In cœlū
 huius proavi Cato tollitur,
 magnus honor Populo Roma-
 no adiungitur. Omnes denique
 que illi Maximi, Marcelli, Ful-
 vii, non sine communi omniū
 nostrum laude decorantur. Er-
 go illum qui hæc fecerat rudem
 tum hominem, maiores nostri
 in civitatem receperunt, nos
 hunc Heracliensem, multis ci-

Conclusio

Secunda
 exemplū.

Quid.

Ennis emē
 ruit Cala-
 bris in mō-
 tibz ortus
 Cōtiguus
 poni Sci-
 pio mag-
 ne tibi.

colligim A
 illud de on
 2162

E

ORATIO CICEI

Amplificatio uitatibus expetitum, in hac au-
Amplificatio a Græca lingua. tem legibus constitutum, de no-
Amplificatio stra ciuitate efficiemus? Nam si
Amplificatio quis minorem gloriæ fructum
Amplificatio putat ex Græcis uersibus perci-
Amplificatio pi, quam ex Latinis, uehemen-
Amplificatio ter errat, propterea quod Græ-
Amplificatio ca leguntur in omnib. fere gen-
Amplificatio tibus, Latina suis finibus exigui-
Amplificatio is sane continentur. Quare si
Amplificatio res hæ quas gessimus orbis ter-
Amplificatio ræ regionibus definiuntur, cu-
Amplificatio pere debemus, quo minus ma-
Amplificatio num nostrarum tela peruenie-
Amplificatio runt, eodem gloriam famamque
Amplificatio penetrare. Quod cum ipsis po-
Amplificatio pulis, de quorum rebus scribitur,
Amplificatio hæc ampla sunt, tum his
Amplificatio certe, qui de uita gloriæ causa
Amplificatio dimicant, hoc maximum & pe-
Amplificatio riculo-

PRO ARCH. POE:

riculorum incitamentum est & laborum. Quam multos scrip-
tores rerum suarum magnus il-
le Alexander secum habuisse di-
citur? Atque is tamen cum in
Sigæo ad Achillis tumulum ad-
stitisset, o fortunate inquit ado-
lescens, qui tuæ uirtutis præco-
nem Homerum inueneris. Et
uere. Nam nisi illi ars extitisset
illa, idem tumulus qui corpus
eius contexerat, nomen etiam
obruisset. Quid noster hic Mag-
nus, qui cum uirtute fortunam
adæquauit? nonne Theopha-
nem Mitylenæum scriptorem
rerum suarum in contione mili-
tum ciuitate donauit? Et nostri
illi fortes uiri & rustici ac mili-
tes, dulcedine quadam gloriæ

Ex minore
facit uerifi-
mitem Ar-
chiæ causā

commoti, quasi participes ei-
usdem laudis, magno illud cla-
more approbauerunt. Itaque
credo, si ciuis Romanus Archi-
as legibus non esset, ut ab ali-
quo Imperatore ciuitate donare-
tur, perficere non potuit. Syl-
la uero cum Hispanos & Gallos
donaret, credo hunc petentem
repudiasset, quem nos in conti-
one uidimus, cui cum libellum
malus poëta de populo subie-
xisset, quod Epigramma in eum
fecisset, tantummodo alternis
uersibus longiusculis, statim ex
his rebus quas tunc uendebat,
iussit ei præmium tribui sub ea
conditione, ne quid postea scri-
beret. Qui sedulitatem mali po-
ëtæ duxerit aliquo tamen præ-
mio

mio dignam, huius ingenium
 & uirtutem in scribendo & co-
 piam non expetisset? Quid a
 Q. Metello Pio familiarissimo
 suo, qui ciuitate multos dona-
 uit, neque per se neque per Lu-
 cullos impetrauisset? qui præ-
 fertim usque eo de suis rebus
 scribi cuperet, ut etiam Cor-
 dubæ natis Poëtis, pingue
 quiddam sonantibus atque pe-
 regrinum, tamen aures suas de-
 deret. Neque enim est hoc dissi- Ratio.
 mulandum, quod obscurari
 non potest, sed præ nobis feren-
 dum: trahimur omnes studio
 laudis, & optimus quisque max-
 ime gloria ducitur. Ipsi philo-
 sophi etiam illis libellis, quos
 de contemnenda gloria scri-

Exempla . bunt, nomen suum inscribunt,
 & in eo ipso in quo prædicationem nobilitatemq; despiciunt, prædicari de se ac nominari uolunt. Decius quidem Brutus, summus ille uir & Imperator, Accij amicissimi sui carminibus templorum ac monumentorum aditus exornauit suorum. Iam uero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellauit Fuluius, nõ dubitauit Martis manubias
Conclusio Musis cõsecrare. Quare in qua urbe Imperatores prope armati, poëtarum nomen, & Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore, & a poëtarum salute abhorrere. Atque ut id libentius faciatis, iam me uobis
 iudices

iudices indicabo , & de meo quodam amore gloriæ , nimis acri fortasse , ueruntamen honesto , uobis confitebor . Nam quas res nos in Consulatu nostro uobiscum simul , pro salute huiusce imperij , & pro uita omnium ciuium , proque uersa Repub. gessimus , attigit hic uersibus atque inchoauit , quibus auditis , quod mihi magna res & iucunda uisa est , hunc ad perficiendum hortatus sum .

Nullam enim uirtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat , præter hanc laudis & gloriæ , qua quidem detracta iudices , quid est , quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo , & tam breui , tantis nos in labori-

Probat a suo exemplo.

Repetitio loci Cōmunis , in qua eadem sentētia aliquoties mutatis uerbis est repetita.

. ORATIO CICE .

bus exerceamus? Certe si nihil
animus præsentiret in poste-
rum, & si quibus regionibus
uitæ spacium circumscriptum
est, iisdem omnes cogitatus ter-
minaret suos, ne tantis se labo-
ribus frangeret, neque tot cu-
ris uigilijsque angeretur, neque
totiens de ipsa dimicaret. Nunc
insidet quædam in optimo quo-
que uirtus, quæ noctes ac dies
animum gloriæ stimulis conci-
tat atque admonet, non cum ui-
tæ tempore esse dimittendam
commemorationem nominis
nostri, sed cum omni posteri-
tate adæquandam. An uero tam
parui animi uideamur esse om-
nes, qui in Republica, atque in
his uitæ periculis laboribusque
uersamur,

uerſamur, ut cum uſque ad ex-
 tremum ſpacium nullum tran-
 quillum atq; ocioſum ſpiritum
 duxerimus, nobiſcum ſimul
 moritura omnia arbitremur?
 An cum ſtatuas & imagines,
 non animorum ſimulachra ſed
 corporum, ſtudioſe multi ſum-
 mi homines reliquerunt, con-
 ſiliorum relinquere ac uirtutū
 noſtrarum effigiem, nōne mul-
 to malle debemus ſummis inge-
 nijs expreſſam & politam? Ego
 uero omnia quæ gerebam, iam
 tum in gerendo ſpargere me ac
 diſſeminare arbitrabar, in or-
 bis terræ memoriam ſempiter-
 nam. Hæc uero ſiue a meo ſen-
 ſu poſt mortem abſutura eſt, ſi-
 ue, ut ſapientiffimi homines pu-

Ex minori.

ORATIO CICE.

Peroratio,
in qua bre-
uissime re-
petuntur
argumen-
ta supra
tractata.

tauerunt , ad aliquam animi
mei partem pertinebit , nunc
quidem certe cogitatione qua-
dam , speque delector , Qua-
re conseruate iudices , homi-
nem pudore eo , quem amico-
rum studijs uidetis comproba-
ri , tum dignitate , tum etiam
uenustate , ingenio autem tan-
to , quanto id conuenit existi-
mari , quod summorum homi-
num ingenijs expetitum esse ui-
deatis : Caussa uero eiusmo-
di , quæ beneficio legis , autho-
ritate municipij , testimonio
Luculli , tabulis Metelli com-
probetur . Quæ cum ita sint ,
petimus a uobis iudices , si qua
non modo humana , uerum
etiam diuina in tantis negocijs
commen-

commendatio debet esse , ut eū
 qui uos , qui uestros impera-
 tores , qui Populi Romani res
 gestas semper ornauit , qui eti-
 am his recentibus nostris ue-
 striscq; domesticis periculis , æ-
 ternum se testimoniū laudū
 daturum esse profitetur : isque
 est eo numero , qui sēper apud
 omnes sancti sunt habiti atque
 dicti , sic in uestram accipiatis fi-
 dem , ut humanitate uestra leua-
 tus potius , quam acerbitate
 uiolatus esse uideatur . Quæ
 de caussa pro mea consuetudi-
 ne , breuiter simpliciterque dixi
 iudices , ea confido probata es-
 se omnibus , Quæ non fori ,
 neque iudiciali consuetudine ,
 & de hominis ingenio , &

1859915

ORATIO CICE.

communiter de ipsius studio lo-
cutus sum. ea iudices a vo-
bis spero esse in bo-
nam partem
accepta,
ab eo qui iu-
diciū exercet, cer-
te scio.

**FINIS DISPOSITIO-
TIONIS AC
PARAPH-
RASIS
PH. ME.**

Maganoæ, ex officina Secceriana.
Anno M. D. XXXIII.
Mense Februario.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637



IN ORATIO

...
...
...
...



...

